
J. P. Resen.


Theses logicae.

Hafn., 1595.









THESES LOGICAE

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΛΟΓΟΥ

De qvibus pro Magisterio Philosophico respondebunt, ad diem VI. Maj. honesti & docti viri,

D. Christian. Severin. Stub.
D. And. Christian. Skovgardius.
D. Martinus Pet. Hovius.
D. Nicol. Michaël : Alburg.
Daniel Ioh. Vehaniensis.
Nicol. Christ. Paschatius.
Alexander Ioh. Hafnianus
Ægidius Lavrent. Ripensis.
Ianus Aqvivallinus Ripensis.

Præside

IOH. PAVL. RESENIO DECANO.

HAFNIÆ

Impreßit Matthias Vinitor.

CIƆ. IƆ. VC.

Seneca Epiſtola XLI.

QVæris, quid ſit proprium hominis? Animus & Ratio in animo perfecta: Rationale enim animal, homo eſt.

Idem Nat. quæſt. L. VI. Cap. 32.

ANimos, magis refert noſtra, fortiores fieri qvam doctiores: ſed alterum ſine altero non fit: non enim aliunde animo venit robur, quam à bonis artibus, quam à contemplatione naturæ.

DE RATIONE
ET
MENTE HUMANA.

I.

HOminis anima rationalis, est ejjus altera pars, Gen. 2. v. 7. Ecclesiastæ. 12. v. 7. Matth. 10. v. 28. Arist. 7. Polit. c. 15. & Metaph. Z. c. 11. qvæ creatur diuinitus, Zach. 12. v. 1. spiritualis, Sapient. 12. v. 1. Iacob. 2. v. 26. intelligens, Psal. 139. v. 14. separabilis ab ipso corpore, Baruch 2. v. 17. Ecclesiastæ 12. v. 7. 3. de an. c. 4. & immortalis Matth. 10. v. 28.

II.

Ea qvum jungitur corpori, homo exsistit, ἐστὶ γὰρ οἷον ἀρχὴ τοῦ ἀνθρώπου, ἡ ἀνθρωπίνη ψυχή, *i. de an. c. 1. ac inde forma hominis non nullis illa dicitur, qvi id videntur colligere ex 2. de an. c. 1. & 4. & lib. 3. c. 12. Aristoteli, for-*

ma formarum, 3. de an. c. 8: Platonicis, homo ipse, Plato Alcib. 1. & Cic. 6. de Rep: qvam sententiam comprobavit Arist. lib. 10. Eth. c. 7. & Metaph. Z. c. 11. Atq; cum ista phrasi consentiunt sacræ literæ, Gen. 2. v. 7, & 12. v. 5, Ezech. 18. v. 4, Act. 2. v. 41, Rom. 13. v. 1. 1. Pet. 2. v. 25, & alibi.

III.

Differt ergò homo ab animalibus brutis inprimis hac sui parte nobiliore: & ex ea λογικὸς rationalis, seu ratione utens dicitur, illa contra ἄλογα, ἀλόγιστα, irrationalia, sine ratione ejjusmodi, & ejjus expertia, 3. de an. c. 3. & 1. de hist. animal. c. 1: qvanqvam & in ipso homine sit τὸ ἄλογον, 3. de an. c. 9. Ethic. 9. c. 8, & 7. Polit. c. 15. qvod reipsa differt ab anima rationali, & non tantum ratione, vt voluerunt Stoici: sicut de iis testatur Plutarch. de morali virtute, & Galenus de decretis Hip. & Plat. lib. 5. c. 1.

IV.

Anima hac rationali, hominem ad imagi-

nem Dei conditum esse, tradiderunt tum scriptores Theologi, ut Iustinus ad gentiles, Theodoretus in Genesin, Avg. de civ. D. Ambros. de fuga sec: tum & Plato propemodum Theæteto, 6. & 7. de Rep. & 4. de leg. Ac propterea cum Aristotele τὴν τῆς ψυχῆς ταύτης ἱστορίαν εὐλόγως ἂν ἐν πρώτοις τιθείημεν τῷ βελτίστην καὶ θαυμασιωτάτην εἶναι αὐτήν, *lib. 1. de an. cap. 1.*

V.

Talis ratio seu animus, & illa vis animi, qua à cæteris animalibus homo disjungitur, iisq; præpollet atq; imperat (licet ejus essentia vna ac simplex sit) diuiditur tamen in Intellectum, qvo res apprehendimus & cognoscimus; & Voluntatem, qva trahimur ad persequendum ea qvæ intelligimus: ac eo pertinet νοῦς ἢ λόγος θεωρητικὸς καὶ πρακτικός, *Aristot. 3. de an. c. 9: & illud Alexandri de fato, hominem à natura factum* λογικὸν καὶ βουλευτικόν, *qvod utrunq; dicit esse intellectum, in lib. de an: & hoc modo* τὸ αἴτιον τοῦ καλῶς καὶ ὀρθῶς, τὸν νοῦν *non malè dixit Anaxagoras, ut est 1. de an. c. 2.*

VI.

Quanquam autem λόγος seu ratio utriq; parti sit generalis, ut jam dictum est: tamen pro intellectu ipso usurpatur ut plurimum: motum enim istum celerem cogitationis, acumen, solertiam, rationem vocamus, ut inqvit Cic. 3. de nat. D. & istam lucem lumenq; vitæ, Acad. quæst, lib. 4. ac ejjusmodi νοῦν πρεσγενέστατον καὶ κύριον κατὰ φύσιν, Arist. nominat, 1. de an. c. 5, & est τελευταῖον seu postremum genus qvod habet λογισμὸν καὶ διάνοιαν, 2. de an, c. 3. nobis enim ratio ac mens sunt finis naturræ 7. Polit. c. 15.

VII.

Atq; hinc Ars LOGICA nomen invenit: qvæ, ars rationis dici potest: Platoni est τῷ λόγῳ χρῆσθαι, Alcib. 1. qvod alias dicitur διαλέγεσθαι καὶ λογίζεσθαι: ea enim in hanc animi partem cadit, tanqvam subjectum proprium & ejjus vim ac usum in tota vita observat atq; explicat: ex qva observatione ars tota investigata, collecta & exstructa est,

2. *Post*. c. 18, *Top*. 1. c. 2. *Metaph*, à *maj*. c. 1.

IIX.

Istam igitur animæ rationalis partem & ejjus vires ac facultates operæ pretium est considerare; sine cujjus cognitione neq; qvis seipsum noscere, neq; res ullas satis intelligere, neq; artem Logicam perspicuè & commodè percipere unqvam potest; nam ad universam veritatem ejjus cognitio videtur conferre plurimum. 1. *de an*, c. 1.

IX.

Qvapropter qvandoqvidem sit omni ex parte & omnino difficillimum de anima certum qvid admittere, illud verò fieri oporteat; ipsius opera ut τὸ νοεῖν *sev intelligere primum nos oportet inqvirere & considerare penitius* 1. *de an*. c. 1. *Ac propterea mentis officia* καὶ συμβεβηκότα *tum respectu ipsius, tum objectorum in qvibus ipsa versatur ordine distinguemus & explicabimus: ista enim magnam partem habent in eo, ut qvis intelligat qvid res sit, qvemadmodū ibid. ab Aristotele dictum est.*

X.

Mens igitur seu intellectus duas habet potestates naturales: potest enim & recipere seu accipere aliqvid, qvod prius non habuit avt acceperat, & dicitur Ingenium: unde est pura & recta intellectio: & expendere atq; exãinare ea qvæ ita recepta & accepta sunt, in ita talis cognitionis ratione & vocatur Iudicium: unde exoritur censura & intellectio reflexa. Scalig. Exercit. 307. dist. 5. & 18. Theodoret. vocat facultatem cognoscendi & judicandi in Gen. c. 20.

XI.

Bonitas ingenii ac innata ejusmodi capacitas & docilitas τὸ ἔμφυτον vocari potest, non nullis dicitur τὸ πεφυκὸς: Cic. expreßit natura insitum, naturalem aptitudinem, ingenii vires: Livius, naturalẽ ingenii dexteritatem: qvæ ubi crevit disciplinis avt contemplatione, subtilitas dicitur Scalig. Exercit. 1. dist. 1.

XII.

Iudicandi facultatem naturalem Aristo-

teles nominat δύναμιν σύμφυτον κριτικὴν *2. Post. c. 15. &* κριτήριον *3. de an. c. 9. Galenus* κρι-τήριον σύμφυτον *lib. de opt. disciplina, &* κρι-τήριον φυσικὸν *lib. 9. de decretis Hip. & Plat: & ea, accepta intellectione simplici, qvasi ru-minat & recognoscit, unde exsistit reflexio mentis super priorem illam notionem. Atq; hoc illud est judicium, qvod Fab. lib. 6. c. 6. dixit, non magis arte tradi, qvam gustum avt odorem: & inqvo rectius formando ac expo-liendo ars Logica versatur in primis: qvæ cer-tior est Dux qvā natura, Cic. 4. de finib: sive cupias investigare & eruere ea qvæ minus fu-ere cognita, sive qvæ sunt investigata ordi-nare ac disponere, ut ab aliis etiam tantò rectiu-us possint cognosci & percipi: atq; hinc* ἀγ-χίνοια καὶ εὐστοχία *exsistit, cujjus mentionem fa-cit Aristot. 1. Post. c. 28, & 6. Eth. c. 10, ac* δεινότης *illa qvam proposuit ibid. c. 13.*

Sed qvoniam ista sine νοημάτων conside-ratione & apprehensionis ac comprehensio-nis distinctione satis non possunt intelligi: de iis, divina gratia, pluribus agemus in proxima disputatione.

PROBLEMATA
EX PRIORIBVS THESIBVS PRO-POSITA.

**
*

I.

Vtrum anima sit in corpore: an corpus potius in anima, ut voluit Plotinus?

II.

Vtrum una tantum hominis anima: an plures?

III.

Anima rationalis de novo infundatur: nec ne?

IV.

An ejjus sedes in corde potius quam cerebro?

V.

Sitne ratio propria hominis, & ejjus forma: an non?

VI.

Animæ humanæ mortalitatem Aristoteles statuerit: nec ne?

VII.

Num Plato rectè intellexerit animæ immortalitatem?

IIX.

Homo imaginem Dei in eo obtineat qvod sit rationalis: nec ne?

IX.

Sit ne homo solus imago Dei: an non?

Hunc ego possideo summo cum iure libellum